

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2528

Auteur(s) : Coutances (official)

Bénéficiaire(s) : Coutances (hôpital-Dieu)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1294, 10 mai

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Donation faite à l'Hôtel-Dieu de Coutances par Silvestre Simon et Jeanne, sa femme, de Périers, d'une somme de 90 livres tournois et d'une rente annuelle de vingt boisseaux de froment ; à leur mort, leurs meubles reviendront à l'Hôtel-Dieu ; celui-ci s'engage à les nourrir, loger et entretenir, leur vie durant, dans la maison.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Le Cacheux Paul, *Essai historique sur l'Hôtel-Dieu de Coutances*, l'hôpital-général et les Augustines hospitalières depuis l'origine jusqu'à la Révolution avec cartulaire général, Paris, Picard, 1895-1899, 2 vol., t. 2, n° CXXVI, p. 122-123.

Texte établi d'après a

..Universis presentes litteras inspecturis, officialis Constantiensis, salutem in Domino. Noveritis quod in nostra presencia constituti, Silvester Symonis et Johanna ejus uxor, de Piris, cum ipsius auctoritate sibi ad hec prestita, coram nobis sponte promiserunt se soluturos et reddituros religiosis viris priori et fratribus Domus Dei Constanciensis, eorumque monasterio, nonaginta libras turonensium, recognoscentes se assignasse eisdem religiosis viginti bussellos frumenti annui redditus, cum regardis, prout in litteris reg[ularibus ?], sigillo vicecomitis Constanciensis sigillatis, super hoc confectis, plenius continetur, promittentes quemlibet ipsorum, quando eidem viam carnis ingredi contigerit, universe relicturum bona fide, omni fraude et deceptione cessante, predictis priori, fratribus et eorum monasterio omnia mobilia, que tunc ad decedentem contigerit pertinere, ex nunc sibi dantes et relinquentes eadem seque facturos et administraturos ac procuraturos fideliter, prout honeste poterint, negocia domus predictae, videlicet pro ministrando et inveniando sibi omnia necessaria ad victum, ita quod de bonis eorum ab eis retentis sibi ipsis vestiaria et calciaria ministrabunt ; ipsique conjuges, quando commode ad refectorium venire poterunt, ad mensam fratrum presbiterorum sedebunt, et tam in refectorio, cum ibidem commode poterunt interesse, quam in camera, sufficienter ipsis ad eorum usum deputanda, cibos et potus habebunt equales cum presbiteris supradictis, predictique religiosi, per aliquem seu aliquos de suis servientibus, sufficienter facient eisdem conjugibus et eorum cuilibet deserviri, ipsisque conjugibus ad eorum usum ligna focaria, prout necesse fuerit, et cameram ad habitandum et ignem faciendum congruam sufficienter ministrabunt. Ad que presens, frater Robertus dictus Le Bouvier, confrater et procurator prioris et fratrum predictorum, nomine procuratorio eorumdem, omnia premissa recognovit esse vera, promittens bona fide predictos religiosos premissa omnia fideliter impleturos ; eligeruntque dicti conjuges in predicto monasterio suam ultimam sepulturam ; de premissis fideliter adimplendis et de non veniendo contra ea nec contra aliquod eorumdem ab ipsis conjugibus et procuratore, tam in animam suam quam in animas predictorum dominorum suorum prestitis coram nobis corporaliter juramentis ; et nos officialis predictus, facta nobis fide sufficienter quod premissa fieri expedit, predictis religiosis et eorum

monasterio, juxta mandatum super hoc a reverendo patre et domino, domino R. Dei gratia Constanciensi episcopo, nobis datum, premissis auctoritatem prebuimus, vice et nomine dicti patris, et assensum. In cujus rei testimonium, sigillum Constanciensis curie una cum sigillis predictorum conjugum presentibus est appensum. Actum et datum anno Domini M° CC° nonagesimo quarto, die lune post festum [tran]slacionis beati Nicholai ; qua die dictus Silvester prefate uxori sue auctoritatem prestitit ad premissa.